

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

14 April 1999

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Preface to Life of St. Andrew (Gregory of Tours)

Inclita sanctorum apostolorum trophea nulli credo latere fidelium, quia quaedam exinde euangelica dogmata docent, quaedam apostolici actus narrant, de quibusdam vero extant libri, in quibus propriae actiones eorum denotantur. De plerisque enim nihil aliud nisi passionum scripta suscipimus. Nam repperi librum de virtutibus sancti Andreae apostoli, qui propter nimiam verborum a nonnullis apocryphus dicebatur; de quo placuit, ut, retractis enucleatisque tantum virtutibus, praetermissis his quae fastidium generabant, uno tantum parvo volumine admiranda miracula clauderentur, quod et legentibus praestaret gratiam et detrahentium auferret invidiam, quia inviolatam fidem non exegit multitudo verborum, sed integritas rationis et puritas mentis.

Igitur post illum dominicae ascensionis nobile gloriosumque triumphum cum beati apostoli praedicare verbum Dei per diversas regiones dispersi fuissent, Andreas apostolus apud Achaiam provinciam adnuntiare dominum Iesum Christum exorsus est, Matheus autem apostolus, qui et euangelista, Mermidonae urbi verbum salutis adnuntiavit.

2. King Edward is murdered by his stepmother (William of Malmesbury)

Interea rex Eduardus fratrem puerulum et nouercam pietate congrua colere, solum nomen regis habere, illis cetera permittere, paternae religionis uestigia rimari, bonis consiliis aurem et animum accommodare; at mulier, nouercali odio uipereum dolum ruminans ut nec nomen regis filio deesset, insidias priuigno struere, quas hoc modo consummauit. Lassus uenatione reuertebatur propter laborem siti anhelus; comites, quo quemque casus tulerat, canes consecabantur; auditoque quod illi in contigua uilla habitarent, equo concito illuc contendit iuenculus solus, nichil propter innocentiam metuens, aliorum quippe animos ex suo ponderans. Tunc illa muliebri blanditia aduentantem allitiens, sibi fecit intendere, et post libata basia porrectum poculum auide haurientem per satellitem sica transfodit. Quo uulnere sautius, cum quantis poterat animae reliquiis sonipedem calcaribus monuisset ad suos reuerti, uno pede lapsus alteroque per deuia tractus undante cruore inditia interitus sui se querentibus dedit.

3. The pope offers his protection to the penitent (Alexander IV, 1255)

Matris ecclesie multa benignitas illum circa filios seruat pietatis affectum, ut et hiis, qui eam devotione continua reuerentur ut matrem, beneficia grandia largiatur et illos, qui post indevotionem et inobedientiam ad ipsius beneplacitum redeunt et mandatum, a sua gratia non repellat. Attendentes itaque, quod ad devotionem ipsius ecclesie de uestra salute solliciti rediistis, uos eius dulci ac suauis dominio humiliter submittendo, nos, uolentes ob hoc in eiusdem matris sinu uos delectabiliter confoveri, uestras et hominum uestrorum personas sub protectione et defensione apostolice sedis et nostra de fratrum nostrorum consilio et assensu unanimi duximus admittendas, promittentes uos utpote speciales et carissimos filios aduersus quorumlibet insultus, uolentium uestram in personis, bonis et iuribus uestris tam in regno Sicilie, Alania quam Ytalia iusto titulo habitis et habendis quietem impetere aut quomodolibet perturbare, defensionis et protectionis clippeo manutenere cunctis temporibus ac etiam confovere.

4 The origin of the sexes (Maximus the Confessor)

Ipsa itaque uniuersaliter omnium ad se ipsum adunatione ex nostra inchoans diuisione fit perfectus homo, ex nobis propter nos secundum nos omnia nostra perfecta habens...non ex nuptiali consequentia...per hoc ostendens, ut arbitror, quomodo erat et alius modus propagationis hominum in multitudinem deo praecognitus, si mandatum primus homo custodiret, inque pecudalitate se ipsum eo modo qui est per abusionem propriis potentiis non deiiceret, in ipsam secundum masculum et feminam differentiam et diuisionem naturae retrusus, cuius ut fieret, sicut dixi, homo non omnino indigebat. Sine quibus autem esse fortassis est possibile, haec in perpetuum non necesse manere. 'In Christo enim Iesu', inquit diuinus Apostolus, 'neque masculus est neque femina'. Videsne quantum diuisionis naturae causam ad peccatum primi hominis referendam esse inculcat?